



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno CCCCXXXII. ad annum CCCCLI.

Parisiis, 1644

VI. Vt defuncto episcopo, ecclesiae illius curam vicinus gerat episcopus.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14584

quocumque habitasset transferendos. Plebi quam acceperit ex constitutionis huius permisso benedicere, & vt supra definitum est, in vna eademque ecclesia neophytos confirmare, in castellis ac vicis totum illi ante presbyteros sicubi venerit liceat, quod in ciuitatibus omnino præscribitur.

V.

Et inter minutas has discussiones & indefinitas visum est, omni presbytero per familias, per agros, per priuatas domos, pro desiderio fidelium, facultatem benedictionis aperire, quod nonnullas iam prouincias habere succurrit. Huic autem etiam in ecclesiarum plebibus, per loca tamen magis, quam per vrbes, hoc idem visum est esse tribuendum. In ecclesia quoque, in qua ordinatus fuerit, consecrandi virginem, sicut confirmandi neophytum, ius habebit. Et per omnia, vt sit multæ indulgentiæ testimonium, semper se inferiorem episcopo, superiorem presbytero agat. Mandatis votisque omnium sanctorum prosequantibus viuat in timore Domini, quietem colat, Deo seruiat, Synodi circa se beneuolentiæ gratias agat, semperque indignum se indultis, & negatis imparem esse fateatur.

Burchard.
lib. 2. 89.

VI.

In commune autem, omnes qui conuenerant sacerdotes, sibimetipsis contra huiusmodi scandala præcauendum censuerunt. Itaque propter eiusmodi temeritatem, tali definitione consultum est, vt de cetero obseruaretur, ne quis ad eam ecclesiam, quæ episcopum perdidisset, nisi vicinæ

ecclesiæ episcopus, exequiarum tempore accederet; qui [visitatoris vice] tamen statim ecclesiæ ipsius curam districtissime gereret, ne quid ante ordinationem discordantium in nouitatibus clericorum subuersioni liceret. Itaque cum tale aliquid accidit, vicinis vicinarum ecclesiarum inspectio, recensio, descriptioque mandatur.

VII.

Hæc autem omnia exequiarum tempore, vsque ad septimam defuncti diem aget. Exin se ecclesiæ referens, mandatum metropolitani simul cum omnibus sanctis episcopis opperietur. Nec quifquam ad ecclesiam, quæ summum amiserat sacerdotem, nisi metropolitani literis inuitatus, accedat; ne a plebe decipiatur, & vim pati voluisse videatur.

VIII.

Quæ voluntate communi in voluntate Domini constituta, omnes communi consensu conseruanda, neque, quod absit, sine offensa omnium ac Dei a quoquam transgredienda definiunt: adiiicientes, vt secundum antiquam constitutionem, si quies temporum erit, bis in anno conuentus agant. Certe inter quasilibet anxietates, neglectis propriis ac domesticis necessitatibus, quoquomodo simul gratias agentes Deo, quo donante quidquid spiritu considerant consurgentes, solum ecclesiæ remedium, remota vltionis prurigine, atque omni animositate, quæfissent.